

www.e-rara.ch

**Divi Gregorii Nazanzeni Episcopi, theologi, Graeca quaedam & sancta
Carmina**

Gregorius

Basileae, [1567]

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-1858>

Poemata quaedam christiana Ioannis Langi Silesii

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

POEMATA

QVAEDAM CHRISTIANA

IOANNIS LANGI

Silesij.

SYMBOLVM CHRISTIANÆ
fidei Nicænum.

NOTIO { Christi filij Dei.
Hominis animalis & naturalis.
Hominis spiritualis & Christiani.

*Iuxta te est sermo ualde in ore tuo, & in corde tuo,
ut facias illum. Deut. 30.*

*Propè est uerbum in ore tuo, & in corde tuo; hoc est,
uerbum fidei, quod prædicamus.*

Rom. 10.

CORPVSCVLVM DOCTRINÆ.

SYMBOLVM FIDEI
DEI CHRISTIANAE NI-
CAENVM VERSIBVS
expressum.

Professionem Christiani dogmatis
Cognosce, simplici notatam carmine.



H AEC mihi certa fides manet, aeter-
numq; manebit,

*Quam menti afflauit Suada super-
na mee.*

*Esse Deum, terras unus, caelumq; pro-
fundum,*

Et qui condiderit numine cuncta suo,

Tam quae conspicimus uoluentis corpora mundi,

Quam quae luminibus cernere nemo potest,

Ad sacros usus hominum leganda piorum

Agmina sanctorum flammea spirituum.

Hebr. 1.
Prouidentia. *Omnipotens, augusta maiestate uerendus,*

Terrigenum clemens & pius usq; pater.

Illius est rerum solius summa potestas,

Cunctos ille sua pro bonitate fouet.

Qua fretus tali fido patre, tamq; benigno,

Vnicus hic uita portus & aura mea.

Matth. 10.

Luc. 12. *Assensu cuius non accedente, capillus*

Non unus nostro decidat e capite.

Et patris unigenam credo de pectore Verbum,

Ipsa, prius natum, secula quam fierent.

Natum,

Natum, non cretum. Lux hic è luce coruscet,
 Eq; Deo uero uerus & ipse Deus.
 Hunc unū Dominum nos usq; atq; usq; fatemur.
 Ordine per quem sunt omnia facta bono.
 Cuius non quisquam secernat Numen ab illo:
 Sic sibi consistunt Gnatus, & ipse Pater.
 Hic generis casum nostri miseratus acerbum,
 Ut dextro lapsis Numine ferret opem,
 Ac uindex hominem tristi reuocaret ab Orco.
 Et saluum uitæ redderet æthereæ:
 A strifera summi demissus ab arce Parentis,
 Imas terrarum uenit ad usq; plagas.
 Atq; hinc diuini conceptu Numinis Aure,
 Prodyt intacta Virgine natus Homo.
 Et diuina suo carnem caro lumine nostram,
 Atq; suum Verbum uiuificauit opus.
 In carnem Christi dum primū, exinde per illā
 In carnem nostram uita paterna uenit.
 Vnicus in gemina natura Christus, & idem:
 Quem summum fuerit dissociare nefas.
 Salue Christe Deus, salue mortalis Iesu:
 Summo nate Deo, uirgine nate sacra.
 Per cognatam nobis carnem suam, ad seipsum
 reduxit humanitatem. Basil.
 Certitudo salutis nostræ est in corporatione Sal-
 uatoris, in resurrectione à mortuis, & in regeneratio-
 ne nostra Epiphanius.
 Innocentius tu sponte tua, facilisq; tulisti
 Romulidæ indignum presidis arbitrium.

Quo censente, crucis, nostri tibi criminis ergo,
 Supplicium infamis, dulce subire fuit,
 Inde salutifero defuncti funere sancta
 Sunt Mausoleo condita membra suo.
 Cum sacer interea diuina spiritus aura
 Viseret infernis agmina clausa locis.

Sed rediuiuus enim calcata morte, redisti
 Fatipotens auras uictor ad aethereas,
 Tertia cum lucem terris aurora referret:
 Id quod fatidici praecinuere libri.
 Mox quoque sublimis, spoliisque decorus opimis,
 More triumphantis sidera summa petis:
 Hic ubi regnator caelo flammante receptus,
 Aeque uo dexter cum genitore sedes.

Inde reuersurus, summis uoluentibus annis,
 Aligero caeli concomitante choro:
 Quaesitor, uiuis functisque, ut facta rependens,
 Des bona digna bonis, des mala digna malis,
 Sceptrorum cuius regnum sine fine manebit,
 Aeternique statum temporis Imperium.

Insuper agnosco sanctum, afflatuque potentem,
 Et certo Zephyrum numine uiuificum:
 Qui simul a genitore sacro, gnatoque profectus,
 Numinis est huius, huius & aura simul.
 Idem cum genitore simul, gnatoque perenni,
 Christigenis colitur supplice more Deus.
 Aurai cuius quondam responsa dedere
 Afflatu uates, pectora sacra, pijs.

*Vnica quæ totum latè dispersa per orbem
 Concio sincera relligione uiget,
 Nō modo quæ nūc est, sed prima ab origine mūdi
 Quæ fuit, extrema quæq; futura die est:
 Re passim sacra fruitur communiter omni,
 Et pia doctrinis uiuit Apostolicis.
 Sancta cohors olim conuiuia festa frequentans,
 Degustat carnem uiuidè Christe tuam:
 Atq; tuo sacros libans de sanguine potus,
 Exangui miscet pocula uina mero.
 (Sanctorum sed enim uitalia pectora tantum,
 Non uentres pascunt hæc alimenta graues)
 Ac simul exoluit solenni carmine grates,
 Et celebrat laudes funeris illa tui.
 Illum felicem demum, uereq; beatum,
 Tam sancti qui sit pars quotacunq; chori.*

1. Cor. 11.

*Manfueuere Getæ, feritasq; cruenta Geloni
 Lacte mero sitiens exanguia pocula miscet,
 Libatura sacros Christi de sanguine potus.
 Prudentius.*

*Et fontis laudo diuina lauacra sacrati:
 Omnis uitali noxa piatur aqua.
 Cælitus ex alto per initia sacra renatis,
 Natorum dantur iura beata Dei.
 Dum ueterem renouat naturam Spiritus almus,
 Chrismate lustratos sanctificatq; suo.
 Expecto, nec uana fides, dum lumine cæli
 In uitam redeant corpora casta nouam:*

*Que nunc sunt fatis obnoxia membra malignis,
Tunc erumnose nescia mortis erunt,
Altera namq; pios claro post funera cælo,
Atq; ea (nil dubium) uita beata manet.
Hæc mihi det genitor, det gnatus, detq; biformis
Numinis aura, Deus trinus & unus, Amen.*

NOTIO IESV CHRISTI
FILII DEI.

Hæc est uita æterna, ut cognoscant te solum
uerum Deum, & quem misisti Iesum Chri-
stum. Ioan. 17.

Nouisse Christum duplicis substantiæ,
Vnū atq; eundē scilicet Deum & hominem,
Vtraq; forma filium patris Dei,
Genitum ante tempus, de Deo uerum Deum,
Hominemq; uerum, de parente uirgine
Illuminata corpus atq; animam prius,
Deoq; dignum preparata habitaculum,
Opera superni spiritus: in tempore,
Supra creationis omnis ordinem,
Nil obtinentem quod creaturam uoces,
Habitū minutum despiciato seruuli,
Paulisper à Dei beatis angelis,
Ad usq; mortem abominabilem crucis:
Ut nos sua submissione extolleret,
In hunc & eleuatus à terra modum
Sublimis ad se traheret ut simul omnia,
Sibi sed illum mox superstitem, necis

Psal. 8.

Hebr. 2.

Phil. 2.

Ioan. 3. 12.

*Dira solutis nexibus, manubijs
 Insignem opimis, Dite unctio turbido,
 Carnem inferentem sedibus caelestium,
 Et collocantem patris ad dexteram Dei,
 Carnem perunctam balsamo letissimo,
 Perennis ornatam corona gloriae:
 Verbo decore praeditam pari suo,
 Diuinitate percitam plenissima,
 Prorsusq; factam (res stupenda) Condeum.*

Psal. 109.
 Colof. 3.
 Hebr. 1.
 Psal. 44.
 Psal. 8.
 Colof. 2.

Oleum lacticiae Spiritus sanctus est. Ambros.

Perfectus Christus est, non propter deitatem modo, qua nihil perfectius: sed etiam propter carnem assumptam, quae deitate uncta, & ideim quod unctio facta est, adeoq; Condeus (quidē) facta. Gregorius Theologus.

Surrexit Dominus cum corpore tenui & leui, &c. atq; ut semel dicam, spiritualiore & diuiniore, (πνευματικώτερος καὶ διωτερος) quodq; simul Deus esset (quidē, nam sic dicere ausim) captum sensus omnis excellentem. Niceph.

Deus in Christi corpore, quod is ex Virgine assumpsit, tanquam in templo suo corporaliter habitat. Augustin.

*Cultam beatis angelorum caetibus,
 Et inferorum ipsi tremendam principi,
 Cum Patre in unitate sancti Spiritus
 Pys adorandam usq; & usq; mentibus:
 Terras regentem, atq; imperantem in aethere:
 Secundam in una Trinitate hypostasim,
 Et Trinitatis ipsius suum decus:*

*Vera fideles ambrosia atq; nectare,
 Cruore diuino fouentem & corpore,
 Vitam renatis conferente cordibus:
 Viuentium atq; mortuorum iudicem.
 Ad astra carnem nostra quam sequitur caro,
 Olim capiti futura conformis suo,
 Constans ferendis fortiter laboribus,*

Rom. 9. *Pro principis sui sacro nomine:
 Ut passa si fuerit simul, regnet simul,
 Diuinitatem & consequatur ut suam.*

*Sic nosse Christum pignus unici patris
 Unigenitum, charum, placitum, primigenium.*

Pfal. 88. *Et eius ipsius parentis omnium,
 Colof. 1. Et uniuersi quod creatum est primitus,
 Matth. 1. Sanctæq; primigenam genitricis sue:*

X P C Primogenitus, { Patris.
 { Omnis creaturæ.
 { Mariæ.
 { Ex mortuis.
 { In multis fratribus.

Filius cum Patre consubstantialis, Primogenitus ante constitutionem mundi, & Primogenitus ante omnem creaturam, Primogenitus à mortuis. Victorinus Apher.

Christum unigenitū dum Scriptura refert, secundum Diuinitatem indicat: quia in Deitate unigenitus ex Deo Patre, omnino fratrem non habet. Et dū Primogenitum nominat, naturam hominis ostendit, quod Apostolus declarat dicens: Ut ipse sit Primogenitus inter multos fratres. Athanas, lib. 3. ad Theophil. contr. Arian.

Dominus

Dominus à Patre dicitur Vnigenitus, *μονογενής*, quod est unicus: à mortuis autem Primogenitus, *πρωτόγενετός*. Dicitur & Primogenitus omnis creaturæ, quod potest intelligi secundum nouam creaturam, de qua dicit Apostolus: Si qua in Christo noua creatura, ex qua ille primitiuus est: quia primitiùs ita resurrexit, ut iam non moriatur, nec mors ei ultra domine tur. Quod nouæ creaturæ quæ in illo est, futurum promittitur in fine. Eundem Scriptura dicit Primogenitum, quem Vnigenitum: quia & nos filij Dei sumus. Vnigenitum uerò: quoniam solus ille de substantia Patris, & Patri æqualis atq; coæternus est. Augustin. quæst. sup. Deut. libr. 5. cap. 21.

— Quem misit ab astris Æquæuus Genitor. — Claudian.

— Magnoq; æquæua Parenti Progenies. — Actus Sincerus.

Si propterea quod Primogenitus creaturæ dictus est, primo creatus est, *πρωτόγενετός*: itidem quoq; quod Primogenitus mortuorum dictus est, propterea præ mortuus fuerit. Sin Primogenitus mortuorum ob id est dictus, quod causa & autor (*αἴτιος*) est ex mortuis resurrectionis: ita etiam primogenitus creaturæ, eo quod autor est creaturæ ex non existentibus ad essentiam producendæ (& productæ.)

Si Primogenitum dici ostendit, primum ipsum generatum esse, (*γεννηθῆναι*) Apostolus qui dixit, Omnia per ipsum & in ipsum creata sunt: dicere debuisset, Et ipse factus est (*ἵσχυρο*) ante omnia. Cùm uerò dixerit, Ipse est ante omnia, ostendens per id, hunc quidem semper existentem, (*ἀειύων*) creaturam autem (omnem) factam esse. (*γεννηθῆναι*) Ipsum enim est, concinit illi, In principio erat Verbum.

Si primogenitus, inquit Ariani, &c. filius, non

iam unigenitus : sed debet & alius esse cuius Primogenitus dicatur. Atqui, ô sapiens, ex Maria quoq; solus genitus, Primogenitus eius dictus est. Donec, inquit, peperit Primogenitum suum. Quocirca necesse non est, fratris primogenitum dici. Dicitur etiam queat, quod ante generationem omnē (*πρὸ πάντων γεννητός*) Primogenitus sit dictus. Præterea uerò & ad eos respectu habito, qui per adoptionem filiorum Spiritus sancti ex Deo nati sunt, ut Paulus ait: Nam quos præsciuit, & prædestinavit, conformes fieri imaginis filij Dei, ut sit ipse Primogenitus in multis fratribus. Basilii libr. 4. contr. Eunom.

Primogenitus est, qui aperit uulvam, & ante quem nullus est genitus : non is, quem frater post genitus subsequitur. Et omnis unigenitus, est primogenitus. Alioqui si non primogenitus esset, nisi is tantum quæ sequuntur fratres: tam diu sacerdotibus primogenita non deberetur, quam diu & alia non fuerint procreata: ne fortè partu non sequente, unigenitus sit, & non primogenitus. Est igitur Primogenitus, non post quem alij, sed ante quem nullus est genitus. Hieron. contr. Heluid.

Primogenitus non omnino refertur ad postea genitos: sed qui primùm aperit uulvam, Primogenitus dicitur. Basilii.

Col. 1. *Primigenam & inter mortuos à seculo,*
Rom. 8. *Fratres & inter primigenam quamplurimos.*

Primas tenentem non modò in cælestibus,
Verumetiam in orbe gentium terrestrium,
Et in locis quoq; subtus infernatibus:
Vt cuncta ubiq; cernerent regem suum,
Illiq; poplites suos inflecterent.

Et colla more supplicum submitterent.

Omnia Christo à Patre tradita, & omnis potestas in cœlo & in terra data, tum, cùm uerbum (per quod Pater omnia fecit, & per sapientiam ornauit) caro factum est: ut, quemadmodum in cœlis primas habuit Verbū Dei, sic & in terris primas obtineret. ut homo iustus, qui peccatum nō fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, primas quoq; eorum ferret quæ sub terra sunt, primogenitus ipse mortuorum factus: ut uiderent omnia regem suum, & in carnem Domini incurreret paterna lux, & à carne eius splendida ueniret in nos, ac sic demum homo ueniret in incorruptibilitatem lumine paterno circumdatus. Irenæus lib. 4. cap. 37.

*In carne conspectum euidentius Deum,
Iustumq; factum spiritu, simul choris
Visum angelorum, prædicatum gentibus,
Et orbe toto creditum fidelibus
Animis, & in suam receptum gloriam.*

1. Tim. 3.

*Adam secundum cœlitus nobis datum,
Recens* creatum: uiuidumq; spiritum,
In quo Pater spectabilem se præbuit,
Non uisus unquam cuiquam mortalium,
Nam cernitur tantum Parens in Filio,
Et corporato mens perennis in Logo,
Tantum docente discitur Deo Deus,
Et filio monstrante noscitur pater,
Ad filium trahente delectos patre,
Hisq; ad patrem uenientibus per filium.
De carne cuius & ossibus perennibus,*

1. Cor. 15.

* hoc est genitum.

Ephes. 3.

Ioan. 14. 21.

Exod. 33.

Ioan. 6.

Ephes. 3.

Et nos

2. Cor. 5. *Et nos sumus facti creatura noua,*

Ioan 1. 3.

1. Petr. 1.

*Sati Deo, Verbi perenni semine,
Sanctiq; diuino uigore spiritus.*

*Ad pristinam Dei reducti imaginem,
Sapientiam, iusticiam, & innocentiam,
Aeternitatem, ipsamq; sanctimoniam
Dei per humanationem filij,*

1. Cor. 1.

Pfal. 44.

Hebr. 2.

*Communicantis ista nobis omnia
Participibus suis, suis & fratribus,*

*Quos propter assumpsit uicem mortalium,
(Sed liberam contagionis sordium,
Natura secum nostra quam gerit, graui*

Gen. 6.

Pfal. 46. 81.

Phil. 3.

1. Ioan. 1. 3. 2.

Vitiata culpa principis mortalium)

Ipsis deos faceret ut è mortalibus,

*Sociosq; patris optimi atq; maximi,
(Papè) sacri communionis spiritus.*

Huc namq; gnati pertinet carnatio.

Nec Adam primus homo nudus erat, quem innocentia uestiebat. Ambros.

Similem Dei esse, est habere iusticiam, sapientiã, & in uirtute Dei esse perfectum. Idem.

Prophetæ à Verbo prophetico accepto charismate, prædixerunt eius secundum carnem aduentum, per quem commixtio & communio Dei & hominis, secundum beneplacitum Patris facta est. Verbum uitæ & uita manifestata est, & uidimus: uita æterna, quæ erat apud Patrem, manifestata est nobis: & societas seu communio nostra cum Patre & filio eius Iesu Christo. Irenæus lib. 4. cap. 37.

*Sic nosse Christum, inquam, secundũ spiritũ,
Ac nosse*

XAGITES. Gratię. Gnaddancę
 barehuld.
 Hic decenter Thalia,
 Et soror Aglaia ludit, & Euphrosyne.





Ac nosse per fidem, seipfos deniq;
 Pietatis almæ maximum mysterium,
 A patre missa de supernis luminum,
 Et spiritu sancto magistro tradita
 Methodo & uia, uitam ferens ad perpetem,
 Scientia est scientiarum, ars artium,
 Adeoq; uita perpes est ipsissima.
 Hanc Christe nobis Deus homo ut dones, precor.

Iacob. 1.

Cognitio mysterij incarnationis et passionis, et resurrectionis Christi, perfectio uitæ est, et thesaurus sapientiæ. Ambrosius.

Qui Christum agnoscit, is nihil ultrà requirat: nec sapientiam, nec uirtutem. Quia agnoscit eum, in quo perfecta uirtus, perfectaq; sapientia est. Idem.

HOMINIS ANIMALIS ET
 naturalis notio.

Conceptus immundo parentum sanguine
 Homo nascitur, peccati & iracundia,
 Maledictionis atq; diffidentia,
 Inobedientia & rebellis filius,
 Damnationi subditus, dira necis,
 Sataneq; mancipatus nexibus,
 Sub ipsius miser manet tyrannide,
 Perennibus non finienda seculis.

Ephes. 2. 3.
 Coloss. 3.
 2. Petr. 2.

Ob noxiam peccati originarij
 Hereditariam parentum principum.
 Defectione qui genus nostrum sua,
 Præuaricati conditoris & Dei
 Legem sui, traxere secum sub iugum

Virtutis

*Virtutis aduersaria atq; apostate,
Corruptionis, seruitutis, & necis
Interminabilis iugum grauissimum.*

*O perditam agrorum uicem mortalium,
Casumq; nullis comparandum cladibus.*

*Ad imaginem creatus ipsius Dei,
Factura & ipsius Dei primaria,*

Gen. 1. Dominans creaturis, in orbe triplici,

Aer, humus, mare quas habet, simul omnibus,

Et libera dominans uoluntati suae,

Homo excidit summa beatitudine,

Ipsaq; (maximum quod est malum) Deo:

Et incidit sub eius potestatis merum

Diabolice, uitiosus ipso corpore,

Ipsaq; anima. per libram & as diuenditus

Rom. 5. 7. Sub crimen, atq; criminis stipendium

Letale mortis. primitus quo tempore

Esse illa cepit, cepit & grassariet

In uniuersum gentis humane genus.

Corruptionem propter istiusmodi,

Anima etiam corpus uocatur criminis,

Corpus necis, corpus caliginis mere.

Per peccatum, captiuum abduxit diabolus Para-
disi ciuem. Mortis mater, Peccatū; Peccati pater,
Diabolus. Theodoritus.

Quemadmodum indumentum quod gestas, a-
lius confecit, & tu eo indueris: nec fecius alius do-
mum extruxit & condidit, & tu in ea habitas: ad eun-
dem modum & Adam, postquam transgressus est le-
gem Dei, & malignum audiuit serpentem, distraxit
& uen-

& uendidit seipsum Diabolo, & animam malignus induit, creaturam bonam, quam condidit Deus ad imaginem suam. Sicut & Apostolus dicit: Cùm exspoliasset siue exuisset principatus & potestates, triu-
phauit de eis in cruce. Col. 2. Propterea enim & Dominus aduenit, ut eijceret ipsos, & reciperet propriam domum & templum, hominem ipsum. Ea gratia anima corpus dicitur tenebrarum malignitatis, tantisper dum in ea est caligo peccati: quoniam ibi uiuit in seculo maligno tenebrarum, & ibi deuictus & comprehensus est (κηράται) serpens. quemadmodum & Paulus corpus peccati & corpus mortis uocans dicit: Ut aboleatur corpus peccati. Et iterum: Quis me liberabit à corpore mortis huius? Macarius Aegyptius Homil. 1. Quam sententiam multis alijs in locis repetit, & tractat luculenter.

Ipsa anima non naturam malum in seipsa obtinet, sed boni desertione in eum peruenit statum. (ὅτι αὐτὴ φύσει τὸ κακὸν ἐν ἑαυτῇ ἔχουσα, ἀλλὰ τῷ ἀποστάσει τοῦ καλοῦ ἐν αὐτῇ καθίσταται.) Basil.

Miser ego homo, quis me liberabit ex corpore mortis huius? inquit Apostolus. Non corpus mortem esse ostendit: sed legem peccati in membris nostris propter præuocationem insidiosè incubantem, peccatumque ipsum in corpore habitans, & per concupiscentias semper animam ad mortem iniusticiæ excitans. (ἐμφαντάρον.) Quibus uerbis subiungit: Gratia Deo, per Iesum Christum, significans, quod Deus ipsum ab hac ærumna per aduentum Christi liberauerit. Lex namque spiritus uitæ in Christo Iesu, liberauit nos à lege peccati & mortis: ut qui Christum Iesum excitauit à mortuis, per inhabitantem in nobis Spiritum suum mortalia quoque corpora no-

stra uiuificet. Epiphani. aduers. Origen.

Fatemur, per Adæ præuaricationem humanâ corruptam fuisse substantiam, & intelligentiam nostram uoluptatibus carnis et insitis motibus naturæ nostræ accidentibus, uelut tyrannica Dominatione compressam. Vnde necessarium fuit, ut pro salute nostra, qui moramur in terra; Dei uerbum homo fieret: et humanam carnem corruptioni deditam, et uoluptatum illecebris egrotantem, propriam faceret. Et quia est uita cunctorum, corruptionem quidem eius destrueret: compesceret autem insitos motus, eos uidelicet qui nos ad uitia uoluptatesq; præcipitabant. Sic enim oportebat mortificari in nostra carne delicta. Meminimus et beatissimum Paulum, legem peccati appellare insitos nobis uoluptuarios motus. Quia uero humana caro facta est Verbi propria, desijt iam corruptioni succumbere. Et quia peccatum non nouit, tanquam Deus qui eam sibi uniuert, propriamq; fecit, desijt iam uitijs ac uoluptatibus ægrotare. Nec hoc sibi perfecit unigenitus filius Dei (Verbū enim est, quod semper est) sed proculdubio nobis. Venient utiq; nobis etiam bona quæ in Christo sunt: hoc est, incorruptio, et abolitio peccatorum. Cyrillus Alexandrin. ad Successum.

*Seductus est homo demonis quidem mali
Blanda & suauis & illecebrosa admodum
Persuasione: sed tamen nulla sibi
Violentia illata coactus. nam uolens,
Arbitrium suum est sequutus liberum.
Tantum creauit & sibi & suis malum
Adam uetus genarcha noster, & pater:
Bonus creatus atq; saluus à Deo.*

Suapte

Suaapte culpa prauus atq; perditus.

*Sic sese habet mortalium omnium Status,
Qui procreantur huius è propagine,
Auctoris ærumnae omnis atq; miseria.*

*Contagione non potest ista puer
Immunis esse, sit licet uel unius
Saltem diei, progressus è locis suis.*

*Natura nostra talis esse creditur,
Testantibus nobis Sacris hoc literis,
Natura Christi destituta gratia.*

*Id si scias, rectè te ipsum noueris,
In lucis auras qualis editus sies,
Adæ prioris noxiæ cretus satu:
Ut per secundum in ius reductus pristinum,
Et recreatus è supernis cœlitus*

*Erga Redemptorem tuum sis gratior,
Benignitatem & ipsius colas magis,
Ipsumq; noris euidentius Deum.*

Si uis nosse Deum, prius nosce te ipsum. Clemens
Alexandr. εἰ θέλει γινῶσκει θεόν, προλαβὼν γινῶσκει σαυτόν.

Accurata tui ipsius noticia, sufficientem etiam tibi
præbet manuuctionem ad noticiam Dei. Basiliius
Magnus. ἡ ἀκριβὴς σκοπὴ κατανύσσει, αὐτάρκη οὐ παρὰ χεῖρα καὶ
σαγωγίαν πρὸς τὸν ἄνευτον τὸ θεῖον.

HOMINIS SPIRITVALIS ET Christiani notio.

AT Christianus prouenit diuinitus,
Renatus è lymphis sacris, & Spiritu
Et igne cœlesti: renatus seminis

Iob. 14. 25.

Gratia Chrī
sti.

Regeneratio
Christiani.

Christiani
natales.
Ioan. 3.
Matth. 3.
Luc. 3.

Corruptio

1. Petr. 1. *Corruptionis omnis expertis satū,
Viuo Dei Verbo, quod omni seculo
Perennat: & natiuitatis intimo
Noua lauacro. Veritatis deniq;*
- Tit. 3. *Verbo ipsius renatus, in spem uiuidam,*
1. Petr. 1. *(Christi per excitationem à mortuis)
Et perpetem in cælo pijs reconditam
Hereditatem: qui potentia Dei
Custodiuntur ad salutem, per fidem.
Christigena nam renascitur, non nascitur.*
- Rom. 8. *Et adoptionis arrogatur iuribus:*
- Gal. 4. *Deiq; fit, natus Deo ipso, filius,*
Eph. 1. *Homo recens, internus & reconditus,*
Rom. 7. *Et spiritu spectabilis mentis suæ,*
Eph. 3. *Renouatus ad formam Creatoris sui,*
1. Petr. 3. *Iusticia cui sit uera cordi, & sanctitas,
Eph. 4. Illuminante pectus ipsius Deo.*
- Eph. 4. *Adam uetustum qui exiit, nouum induit.*
Coloff. 3. *Etenim Dei affixus cruci cum filio,*
Rom. 6. *Commortuusq; ipsi, & sepulchro conditus,*
Colof. 2. *Cum illo simul surrexit in uitam nouam.*
1. Cor. 4. *Hic Christi Iesu splendido in uultu sui,
Ipsam parentis gloriam uidet Dei,
In uase thesaurum hunc ferens testaceo.
Amicus hic, propinquus, & scholasticus,
Et filius, quod antehac dixi, Dei:*

Qui diligit patrem aut matrem plus quàm me, (ue-
rum Patrem, & magistrum ueritatis, regenerantem
& recreantem & nutricantem animam electam) non
est me

est me dignus, inquit: ut sit filius Dei, & discipulus Dei, simulq; amicus & cognatus. Clemen. Alex. Stromat. 7.

*Christum suo circumferens in pectore,
Per uiuidam minimeq; fucatam fidem;
Qua singulare creditur donum Dei
(Quod cuilibet diuinitus non aduenit)
Radiusq; inaccessa ipsius lucis Dei,
Et Christus ipse, pectus incolens pium.
Essentia qui de sua fidelibus
Donare diuinam sicut gratiam,
Qua corda nostra lustrat, atq; corpora
Sapientia, uirtute, sanctimonia.*

Eph. 3.

Fides Christi-
ana opus
etiã est Dei
Ioan. 6.
& Theol. 3.

Fides nascitur & acquiritur per Dominum nostrum Iesum Christum.

Habitat Christus per fidem in cordibus fidelium: Eph. 3. Fides tua de Christo, Christus est in corde tuo. August. Non simpliciter Dominus erga Mariam se diligentem, & ad pedes eius assidentem, affectus fuit: sed uirtutem quandã occultam ex essentia sua dedit ei. Propter ea Dominus sciens quid dedisset ei (uerba enim, quæ Deus cum pace loquebatur Mariæ, spiritus erant, & uirtus quædam) Maria, inquit, bonam partem elegit. Macar. homil. 12.

Virtus Verbi nobis data, quod compendiosa sit & potens, unumquemque qui illam suscipit, & intra se conferuat, occultè & arcanè ad seipsam trahit, omnemq; eius constitutionem in unitatem contrahit: Clemen. Alex. Strom. 5.

Natiuitatis istiusmodi noua,

Regeneratio.

§ 2

Et regenera-

*Nona crea- Et regenerationis unda & Spiritus,
tura. Ignisq̄, matri sancta sunt Ecclesie,
In expiatione pœnitentia,
Christo in quibus nomen damus, mysteria.*

*Lanacrum. Initiati cum sacris immergimur
Lymphis, sub inuocatione numinis
Matth. 28. Terunici, atq̄ Christiano cœtui
Incorporamur, & sacramenti fide
Christi rogati in uerba iuramus ducis.*

*1 Cor. 2. Non auris istud audiūt, non lumina
Videre, non ascendit in cuiuspiam
Mentem hominis, omnibus uetustis seculis:*

Matth. 3. Sub inuolucro quod sacri baptismatis,

Luc. 3. Baptismus esset ignis atq̄, spiritus

Act. 1. Sancti futurus, proditus diuinitus.

Baptisma est captiuitatis liberatio, peccatorum remissio, mors peccati, animæ regeneratio, uestimentum candidum, signaculum sanctū & indelebile, currus ad cœlum, deliciæ Paradisi, regni cœlestis conciliatio, charismaq̄; adoptionis filiorum. Cyrillus Hierosolymitanus.

*Sic natus è cœlestibus homo nouus,
Per gratiam miserationis uiscerum, &*

Indumentū, Unigeniti communionem Filij,

Ro. 13. Assumptione & ipse filius Dei

Gal. 3. Christum induit, Christi q̄, sacrum spiritum:

Puram perennitatis æterna togam,

Matth. 19. Quam in regeneratione denuo altera

2. Cor. 5. Superinduet, cum summa uenerit dies,

Ad alie uite beate seculum

Rediuiuus

Reduimus à necis peremptæ uinculis,

Huius togæ suam refert imaginem,

Initiatis in sacro baptisate

Quæ paruulis datur gerenda candida,

Apoc. 3.

Integritatis innocentis symbolum,

Ad Christiana cum simul certamina

Vactio.

Cum singulari obeunda fortitudine,

Illos aliptes sub sacro signo crucis,

In fronte mystico perungit chrisate:

1. Ioan. 2.

Sed corda sancta roborante spiritu,

Qui spiritus simul unctor est & unctio.

Homini sacro uictus sacratus conuenit:

Alimoniam ergo Christianus unicam

Alimonia.

Novit modo, Christum uidelicet suum,

Vituum cibum, uite datorem perpetis:

Ioan. 6.

Panemq; uerum, cœlitus qui prouenit.

Nam corpus edens huius, huius sanguinem

Bibens, cibo potuq; tali uictitat,

Vitam manentem in sese habens, quæ Christus est:

In Christo & ipse itidem uicissim permanens,

Quod pignus est eternitatis maximum.

Has spirituales & reconditas dapes,

Et corporalibus remotas sensibus,

Cœtus representat pius fidelium,

1. Corin. 11.

Communibus coactus in conuentibus,

Sanctas ad aras mystico libamine.

Quo Christus instituit sacram cœnam modo,

(Qui uiscerator atq; uisceratio est)

Cererem sacram Domini, Dominiq; poculum

*Vitale gustans, carnis atq; sanguinis
Christi sacramentum omnium augustissimum.*

Sed & hoc profecto maximum est miracula

1. Cor. 1. *Itidem vetustus seculis incognitum,
Ecclesie quod cœtibus solennibus
Cum pane uinum sanctus offertur typus
Et carnis & cruoris istius modi.*

De pane uerò quisquis atq; poculo,

Videlicet de rebus apparentibus,

Et sub suos sensus palàm cadentibus,

Partem capiti libando spiritualiter,

*Quòd Christe carnem edat, bibatq; sanguinem
Tuum, perennis unde uita suppetat.*

Veteribus sanctis & prophetis, &c. neq; in notio-
nem, neque in aures, neque in mentem uenit, quòd
futurum esset baptisina ignis & Spiritus sancti: &
quòd in Ecclesia offeratur panis & uinum, typus (αὐ-
τίτυπος) carnis & sanguinis Domini: & quòd, qui par-
ticipant eum qui palàm apparet (φανερόν) panem
spiritualiter, carnem Domini edant. Macar. ho-
mil. 27.

Non recogitâr, aquas in baptisimo mysticas aduen-
tu sancti Spiritus consecrari: panemq; Dominicum,
quo Saluatoris corpus ostenditur, & què frangimus
in sanctificationem nostri, & sacrum calicem, quæ in
mensa Ecclesie collocantur, & utique inanima sunt,
per inuocationem & aduentum Spiritus sancti fan-
ctificari. Theophilus Alexandrinus paschal. 1.

Certè sacramenta quæ sumimus corporis & san-
guinis Christi, diuina res est: propter quod & per ea-
dem diuinæ efficitur consortes naturæ. Et tamen
esse

esse non definit substantia uel natura panis & uini. Et certè imago & similitudo corporis & sanguinis Christi in actione mysteriorum celebrantur. Gelasius PP.

Impossibile est in Deitatis essentiam uel naturam aliquid creaturarum posse conuerti. Cyrill. Alexandrinus ad Success.

Participemus pascha, nunc quidem typicè adhuc, quamuis uetusto apertius. Legale siquidem pascha, dicere audeo, typus erat typi tenuior: paulo uerò post perfectius & purius, quando id bibit nouum Verbum nostrum in regno Patris, reuelans & docès quæ modò mediocriter indicauit. Theologus in homil. Paschal.

Reuerere mysticam, ad quam accessisti, mensam: panem quem participasti, poculum quod communicasti. Idem de baptism.

Concaua manu suscipe corpus Christi. Sanctificas re sanguine Christi, quem sumis. Et cum adhuc est humiditas in labijs tuis, manibus attingens & oculos & frontem & reliqua sensuum organa consecra. Cyrillus Hierosolymitanus.

Vmbra in lege, imago in Euangelio, ueritas in cœlestibus (percipitur.) Ambrosius.

*Et cum regatur Spiritus aura sacri
Hominis noui mens, lingua, gressus & manus,
(Nam Christianus non habetur, Spiritum
Qui non habet Christi) illius iussis libens
Paret: secundum Spiritum per omnia,
Non carnis autem de uoluntate ambulat:
Lucemq; consecrans, fugit caliginem,*

Rom. 8.

2. Cor. 10.
Gal. 5. 6.

Vita.
Ephes. 5.

1. Theff. 5. Non noctis atra, luminis sed filius.
 Malicia. Quin ille carnem cum cupiditatibus
 Rom. 8. Suis premit, frenat, coercet, enecat,
 Gal. 5. Secum ipse pugna conferens iugi manus:
 Quod proprij sit hostis acer corporis,
 Idq; adiuuante uincit ille spiritu.
 Hostes & ad
 uersarij. Huic mundus iste plurimum negocij
 1. Cor. 4. Etiam facescit, splendidis illis quidem,
 1. Io. 2. Inanibus tamen suis phantasijs,
 Illas sed alto reijcit uultu pius
 Athleta, rebus deditus cœlestibus:
 Gal. 4. Hierusalem iam nunc superna municeps
 Phil. 3. Animo, graui licet manens in corpore,
 Deoq; consecratus unice suo:
 Quem solum & unum credit & summū bonum.
 Deut. 6. Solum proinde unumq; summè hunc expetit,
 Matth. 22. Summoq; amore hunc maximè complectitur:
 Et proximum uelut seipsum diligens,
 Col. 3. Terrena despuit, superna suspicit,
 Est & maligno seculo suus Deus,
 2. Cor. 4. Mundiq; princeps, hostis æterni Dei,
 Io. 12. Et seuius hostis omnium fidelium.
 14.
 16. Has præter aduersas deinde copias,
 Eph. 6. Sunt plurimi mundipotentes reguli,
 Caliginis præsentis eui turbide:
 Est spiritualis nequitia in cœlestibus.
 Aduersus hosce strenuè aduersarios
 1. Theff. 5. Virtute Christi res gerenda, & robore,
 Sumenda militi Dei panoplia,

*Iusticia, ueritas, fides, spes, charitas,
Precatio, obsecratioq; continens,
Pax & salus: & ensis anceps Spiritus,
Verbum quod est, Christus uidelicet, Dei.*

Armature.

*Verborū Dei
Christus.*

Mortuus est (Christus) propter nostram infirmitatem, qui uita est & impatibilis Deus, in ea quam à nobis sumpsit infirmiore carne (*ἰν τῇ ἰσχυρῶν ἀδυνασίᾳ καὶ θανάτῳ*) uiuit autem ex uirtute. Viuum est enim uerbum Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti. Epiphan. contr. Ariomanit. Hieronymus super illo Esa. 40. Verbum Domini manet in æternum: Verbum (inquit) Domini, & qui Verbo sociati sunt, permanent in æternum.

*Cuius ope uictor ille abit potissimum
Ex spirituali prælio certaminis,
Quo Christianos noster aduersarius
Ad ultimum fatigat usq; spiritum,
Seuos subinde etiam tyrannos excitans,
Homines pios qui cæde tollant impia,
Et ipsius crudelem adimpleant uicem.
Usq; ad eò mundo, ipsiq; mundi Principi,
Religio simplex, uerus & cultus Dei,
Pietasq; Christiana ab orbe condito,
Sataneq; lapsu de supernis sedibus,
Ad ista nostra & ultima usq; tempora.
Odio est: ut excisam uelint radicibus
Integritatis innocentis gloriam,
Et Trinitati debitam obseruantiam:
Sacrum sibi diuinitatis perperam*

*Verorū Christi-
fianorū per-
sequutio.*

*Esa. 14.
Luc. 10.
1. Petr. 2.*

*Adulterina uendicantes ordinem,
Et Conditori preferentes condita,
Hæc pro dijs mandant adorari & coli.*

*Spiritus mñ-
di.*

Est spiritus suus dicatis seculo

1. Cor. 2.

Mortalibus, quos ille compellens agit

Ephes. 2.

Ad omne probrum, mente captos, & nefas,

Rom. 8.

At Christianos Spiritus sanctus regit,

1. Cor. 12.

Et ueritatem omnem magister optimus

Spiritus

Dei,

Docet, suoq; numine atq; lumine

Ioan. 16.

Replet corusco, mentes incolens pias

1. Cor. 3. 6.

Ceu templa sacra sanctus hospes, & dator

2. Cor. 6.

Cælestium charismatum largissimus.

2. Cor. 12.

Hoc, Christiani per uiam placitam Deo

In ambulantes sanctius uiuunt, duce:

Huic gratiam acceptam ferunt diuinitus.

Sedenim illud est stupore plenum maximo,

Luc. 24.

Hunc cum paraclatum ferant in cordibus,

Act. 1.

Ornentur & uirtute de cælestibus,

1. Pet. 5.

Diuinitate & impleantur (ô Deus)

Phil. 1.

Animæq; sancto temperentur Spiritu,

Et in timore sedulo maneant Dei,

Cuius tremiscunt sub potenti dextera:

Operentur & suam salutem prouidi.

Sub persecutione crudelissima:

Innoxios sic abripi tyrannicè

Pœnas ad omnes questionis publicæ?

Apostoli & Christiani accipiunt Paracletum, & induuntur uirtutem ex alto, & implentur deitate, & animæ contemperantur Spiritu sancto. Macar. hamil. 27.

Beneplacitum

Beneplacitum est bonitati uoluntatis Patris, ut inhabitet in omni credenti, & petenti eum. Veniemus, inquit, ego & Pater meus, & mansionem apud ipsum faciemus. Sic infinita uoluit suauitas Patris: sic inexcogitabili charitati Christi complacuit: sic ineloquibilis Spiritus sancti benignitas promisit. Gloria inenarrabili misericordiae sanctae Trinitatis. Idem homil. 18.

Num Christiana sic habet professio?

Num sanctioris instituti haec est uia?

Vt scubi sit Spiritus sanctus, simul

Eo sequatur persecutio grauis,

Nostris ab ipsis maxime tribulibus?

Et cum extremo bello simul bellum intimum;

Quod iugiter cum carne Spiritus gerit,

Quod concupiscat alterum contra alterum?

Gal. 5.

Et persecutionis istiusmodi

Est seua cedes testis innocentium

Math. 23.

Chori Prophetarum locupletissimus:

Est ipse Christus omnium sanctissimus.

Testes Apostoli atq. apostolici uiri.

Ad Spiritum postquam sacrum crux pertigit,

In Christianis & quieuit Spiritus,

Populis ab illo Christiani tempore

Ex omnibus, soli tyrannos sustinent,

Soli coronas & reportant martyrum,

Superare sueti cuncta per patientiam

Sanctam, scientes se nihil pati nouum:

Quod sit necesse ueritatem publicum

Propter Spiritum sanctum contumelia afficimur, (atque) Epiph.

Cum per-

*Cum persecutione ferre odium omnium,
Christumq; Christianum oporteat sequi
Absq; angaria baiulum crucis sua.*

Christiani debent ferre afflictiones externas, & sustinere bella interna, ut per patientiam pulsati, uictores euadant. Sic enim habet Christianismi uia. Vbi namq; est Spiritus sanctus, ibi consequitur persecutio & lucta. Inspice prophetas, quomodo persecutionem tolerauerint per omnia à tribulibus suis, in quibus Prophetis operabatur Spiritus sanctus. Vide quomodo Dominus, qui est uia & ueritas, non ab alia gente persecutione sit expetitus; sed à suis, & propria tribu Israel persecutione inactatus & crucifixus sit, consimiliter & Apostoli. Ex quo enim crux ad Spiritum sanctum transijt, & is ad Christianos peruenit, deinceps nullus Iudæorum persecutionem est passus: sed Christiani martyria obierunt. Quocirca mirari tanquam in re noua non debent: sed necesse est ueritatem persecutione expeti. Macar. homil. 15.

Vbi ueritas se erigit, ibi bellum gerit error, & seductio, occultare eam & contaminare studens. Quando Iudæi sacerdotium gessere, à sua ipsorum gente persecutione expetiti & afflicti sunt: quia constiterunt in ueritate Eleazar & Maccabæi. Id. homil. 17.

Tentationem & probationem sustinere perquam paucorum est, & Abraamiticorum hominum. Basilus.

1ob. 7.
1. Tim. 1. *Cumq; ociari Christianum sit nefas,*
2. Tim. 2. *Vt qui sciat uitam esse militiam suam,*
1. Cor. 16. *Vigilantiam, iugemq; pœnitentiam:*
Tit. 2. 3.
2. Theff. 5. *Quapropter ille opus semper facit bonum,*

Indefinenter

*Indefinenter ad Deum fundit preces,
Noctu diuq; cogitat legem Dei,
Euangelium legem nouam potissimum,
Quæ Christus ipse est, Dei potentia,
Et uniuersorum salus credentium.*

Luc. 27.
1 Petr. 4.
Psal. 1.
Col. 4.

Ro. 7.

Postrema & sempiterna lex data est Christus, atq; item testamentum fidele: post quod testamentum, non lex, non præceptum, non mandatum erit ul- lum. Lex, inquit, à me exhibit, & iudicium meum in lucem gentium. Esa. 51. Hanc ipsam Iudæi legem dehonestastis, & nouum sanctumq; Dei testamen- tum uilipendistis. Iustinus philosophus & martyr in Tryphon.

Denunciauit Dominus per ipsum legiferū (Deut. 28.) quòd filium suum, id est, uiuam præsentem q; le- gem missurus esset: ut denuò per eum qui esset æter- nus, legem sanciret æternam. Laët. lib. 4. cap. 17.

Hæc est lex Domini immaculata, conuertens ani- mas. Psal. 19. Lex spiritualis, ait Origenes, quæ sine dubio Verbum Dei & Christus est. Lex ipse est Christus, qui non uenit soluere legem, sed adimplere. Hieron.

Porrò lex ista noua, Euangelium dicitur.

Ioannes præco uerbi cohortabatur, ut parati esse- mus in Dei Christi aduentum. Et hoc illud erat, quòd obscure significabat Zachariæ silentium, præ- stolans præcursorem Christi fructum (τὸν ἀπὸ ἀρχῆς τῆ ζωῆς καὶ τῆ χάριτος), Ioannem uidelicet ipsum) ut ueritatis lu- men Verbum ipsum propheticorum enigmatum my- sticum solueret silentiū, Euangelium factum. Clem. Alex. in orat. exhortat.

Moses uidetur Dominum testamentum uocare:

Eccò

Ecce ego, dicens, testamentum meum tecum. In Pe-
tri autem predicatione inuenias, Dominum Legem &
Verbum appellari. Idem lib. I. Stromat.

*Et Christianus gratiae quamuis Dei,
Et Spiritus in se uigorem sentiat,
Minimè tamen securitati languide
Mentem suam permittit, aut ignauie,*

Rom. 7. *Propter malum quod pectori insitum est suo
Nec ante mortem prorsus inde euellitur:
Adeo uetus suis uenenis primitiis
Animas Draco cum carne nostras imbuit.
Illasq. prauitate corrumpit sua.*

1. Pet. 5. *Proinde cautè prouidus sibi prospicit,
Intentus in domesticum aduersarium,
Ne quando lapsu celsiore concidat
Ab hoste detectus. Sed & lapsus statim
Sese erigit, Dei iuuante gratia,
Semper uocata quae iacentem subleuat.*

2. Cor. 13. *Sic ille uitam transgens pie suam,
Phil. 3. 4. Letatur in Christo, intimo de pectore:
1. Thess. 5. Hilaremq. uultum rebus obtinet malis,
Perinde tanquam prosperè affluentibus,*

1. Tim. 1. *Propter quietam & conscientiam bonam.*

2. Tim. 1. *Et spe bona fruens, in horas corporis*

Hebr. 13. *Resolutionem & ultimam expectat diem:*

Act. 24. *Resolutionem & ultimam expectat diem:*

1. Pet. 3. *Pignus futurae aternitatis, nunc quidem*

Matth. 19. *Fragili, sed olim suscitando denuò,*

Duplex pi- *gnus immor-
salitatis in
homine Chri-
stiano.*

Secum duplex circumferens in corpore:

Vnigeniti

Vnigeniti carnem & cruorem Filij,
Dei manentis in fidelibus suis :
Ipsissimam uitam perennem scilicet,
Quam possidet, quicumq; Christum possidet.
Hoc pignus est unum. Sed accipe alterum,
Et fac ut hoc & illud conserues probè.
Si in Christianis Spiritus Patris colit,
(Vt, Christiani si sumus, certè colit)
Qui Christum Iesum suscitauit mortuum,
Mortalia in uitam excitabit corpora
Credientium, per Spiritum sanctum suum,
Habitantem in ipsorum sacris precordijs.
Eiusmodi fiducia fretus libens
Christigena migrat è maligno seculo,
Non inscius quo transeundum sit sibi.
Vbi namq; Christus archidux est gloriae,
Ibi uult fidelem etiam esse militem suum,
Tot post labores, totq; post stipendia,
Secum ut perenni perfruatur gaudio,
Summaq; cum angelis beatitudine :
Quam perdidit primus, secundus reddidit
Adam; ille humo, cælo sed iste proditus :
Alter necis, uita sed alter prebitor,
Ad alterum nascendo nostrum quilibet,
Christigena ad alterum renascendo attinet :

Ad Adam nascendo, ad Christum renascendo per-
 tinemus. August. epist. 57.

Homo namq; res inastimabilis Deo,
 Quem propter est demissus è cælestibus

Vnigenitus

Ioan. 6.
 2. Ioan. 8.

Ro. 8.

Migratio.
 1. Cor. 3.
 2. Tim. 3.
 Rom. 12.
 Gal. 1.
 2. Ioan. 5.
 Ioan. 12.

1. Cor. 15.

Summa Chrò
 stiani homi-
 nis dignitas.

Vnigenitus Patris supremi Filius.

Fidem facit dilectioni eiusmodi

Fidei ipsius Verbum, Dei gnatus patris:

Ioan. 16. *Pater, inquit, uos diligit. —*

Diligitur à Deo homo. Quomodo enim non diligitur, propter quem Vnigenitus ex sinu Patris demittitur: Verbum fidei, fides ex abundantia, ipse euidenter est Dominus, qui confitetur & dicit: Ipse enim Pater diligit uos, quoniã uos me dilexistis. Clem. Alex. in Pædag. lib. 1. cap. 3.

— *Non angelos*

Hebr. 2. *Deus recepit, Abrahæ sed filios.*

Adest creaturis in omnibus Deus,

Deus in Christi
Eliani habi-
tans.

Diuinitatis ipsius presentia:

Verum suæ per incolatum gratiæ,

In cordibus solis manet fidelium.

Hic conquiescit, has sacras ades habet.

Cognatio
Dei cum ho-
mine.

Vnde est Deo cognatio & propinquitas

Communioq. cum fidelibus sua,

Matth. 12.
1. Ioan. 1.

Naturæ etiam quos compotes facit suæ.

2. Petr. 1.

In re nulla ita, ut in Sanctis, Deitas conquiescit.
Theologus.

Deus est ubique per diuinitatis præsentiam, sed nõ ubiq. per habitationis gratiã: sed in solis tantummodo fidelibus. August.

Creatura omnis à Deo regitur, & tenetur: attamen nõ in illis sedem fixit, neq. communionem cum illis inijt. Sed in homine solo bene complacitum est ei: quo cum communionem instituit, in illo conquiescens. Hoc modo cognationem uides Dei cum homine,

mine, & hominis cum Deo. Quoniam bene complacitum est Deo, hominem diuinæ facere naturæ participem. Macar. homil. 45 49.

*Perfectionem Christianus denig,
Et absolutam sanctimoniam simul,
Quia sine Deum nemo uidet mortalium;
Pro uiribus contendit assequi suis.
Homo fidelis absolute redditur
Pèrfectus, ad sui magistri imaginem:
Qui seruat & sequitur prophetiam ipsius,
Et dogma sanctum, in carne obambulans Deus;*

*Christiani
perfectio.
1. Cor. 13.
Eph. 6.
Col. 1.
1. Petr. 5.
Hebr. 12.
Matth. 5.
Luc. 6.*

Qui Domino paret, & per eum datam consecratur prophetiam, absolute perficitur: iuxta Magistri imaginem, in carne Deus obambulans. Clem. Alex. lib. Stromat. 7.

*O Christianorum stupendam militum
Dignationem: o dignitatem amplissimam!
Hominem pium uidelicet fieri deum,
Per ipsius Dei benignitatem & gratiam.*

Deificatio.

O ineffabilem Dei misericordiam: quoniam gratis seipsum largitur credentibus, ut in breui tempore Deum hæreditate consequantur, & Deus habitet in corpore hominis, & Dominus pulchram domum habeat hominem. Sicut namque Deus cælum & terram creauit, ut homo habitaculum habeat: ita etiam corpus & animam hominis condidit in propriam sibi habitationem, ut ibi incolat & requiescat, tanquam in ædibus suis, in corpore sponsam habens pulchram & amabilem, animam ad imaginem suam factam. Conueni enim uos (ait Apostolus) uni uiro, uirginem
k sanctam

sanctam & castam exhibere ipsi Christo. Et rursum:
Cuius domus sumus nos. 2. Corinth. II. Eph. 2. I. Petr.
2. Macar. homil. 49.

Corporealiter quoq; communicatione carnis Christi, Christus in nobis habitat. Cyrillus in Ioan. 15.

Habemus in nobis, per carnem, Christum manentem. Hilarius de Trinit. lib. 8.

Quid est, Participes facti sumus Christi? Participamus ex eo: unum facti sumus nos & ipse. Siquidem ipse caput est, nos corpus, cohæredes & concorporales. Vnum corpus sumus ex carne eius, & ossibus eius: si tamen principium subsistentiæ, usq; ad finem, firmum teneamus. Quid est principium subsistentiæ? fidem si significat, per quam subsistimus, & nati sumus, & essentialia (ut ita dicam) facti sumus. Chryf. Hebr. 3.

Dij, gratia in Christo, qui uerus & homo & Deus est, facti sumus. Cyrill. in Thesaur. lib. 10.

Absit, ut signus gratiæ nudæ & subsistentia carentis participes. Tempus enim sumus Spiritus, & subsistentis, uocatiq; per hoc Dij: utpote diuinæ & ineffabilis naturæ cum illo copula participes facti. Idem in Dialog. de Trinit. lib. 7.

*En Christiani militis natalium
Habes decus, uictum atq; amictum, & prælia,
Et missionem, & præliorum præmia.*

*Christo sit omnis laus, honor, uictoria:
Sit gratiæ actio, & perennis gloria,
Cum Patre sancti in unitate Spiritus:
Qui faxit, ut cuiusmodi uersu rudi
Descripsimus, uita exprimamus imaginem,
Simul uniuersi, Christiani militis,
Qui Christiano gloriamur nomine.*